# Actum in Castro Premisliensi Feria Quarta post Festum Visitationis Beatissimae Virginis Mariae proxima,

1634 5/VII Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Quarto.

## Wesseleny obligat Choynackiem

Comparens personaliter coram Officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Illustris et Magnificus de Hadad Wesseliny, sanus mente et corpore existens; a Terris, districtibus, iuribus, iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo: huic autem Castrensi Capitaneali Premisliensi iurisdictioni, se cum successoribus, ac bonis suis quoad actum praesentem attinet, totaliter et plenarie incorporans atque subiiciens, palam, libere, publice, ac per expressum recognovit. Quia Generoso Joanni Choynacki et ipsius successoribus summam Mille florenorum pecuniae Polonicae monetae et numeri in regno currentis, quemlibet vero florenum grossis triginta Polonicis computando, certi veri, iusti et liquidi debiti, mutuatique apud ipsum per recognoscentem pecuniae tenetur atque debet. In qua quidem summa suppleta tota et integra idem recognoscens bona sua haereditaria, villam nominatam Tarnawa, in Palatinatu Russiae Terra et districtu Premisliensi consistentem, cum omni iure, dominio et proprietate, cunctisque et singulis bonorum praedictorum utilitatibus, fructibus, proventibus, redditibus, et emolumentis, attinentiisque et pertinentiis quibusvis, nullis penitus exceptis, nec per se suisve successoribus, aut alio quopiam reservatis,

sed



sed omnibus in genere et singulis in specie comprehensis, generaliter specifice et e converso non derogando, sed ita late, longe, circumferentialiter prout praedictorum bonorum haereditas, in suis metis et limitibus se extendit et continetur, et prout eadem bona ipsemet recognoscens tenuit, habuit et possidebat, illisque usufruebatur. Iam ex nunc et de facto praenominato Generoso Joanni Choynacki eiusque posteris, hinc et ab actu praesenti ad Festum Conversionis Sancti Pauli Apostoli proxime et immediate venturum tantum et non ultra, obligavit, invadiavit, et modo obligatorio de facto inscripsit et resignavit, prout praesentibus obligat, invadiat, modoque obligatorio inscribit et resignat. Et iam ex nunc idem recognoscens Illustris et Magnificus Franciscus Wesseleny eidem suo obligatario et ipsius posteris, in eadem bona praesentibus obligata, coram Officio praesenti dat et admittit realem intromissionem et actualem pacificamque possessionem, per Ministeriales quoscunque et Nobiles, ipsi nunc ab Officio praesenti additos, die quacunque voluerint assignandam acceptandam. Per ipsum obligatarium suum et eius successores, bona praedicta praesentibus obligata tenendi, habendi, possidendi, illisque pacifice et quiete utifruendi, ac ad usus suos quosvis suorumque successorum beneplacitos libere et effectualiter convertendi modo titulo que obligatorio.

## Iidem roborant Intercisam.

Comparentes personaliter coram Officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Illustris et Magnificus Franciscus de Hadad Wesseliny ab una; et Generosus Joannes Choynacki ab altera partibus, Sani mentibus et corporibus existentes, a Terris, districtibus, iuribus, iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo: huic autem Castrensi Capitaneali Premisliensi

iurisdictioni, se cum successoribus ac bonis suis quibuscunque aliis, quoad actum praesentem attinet, totaliter et plenarie incorporando, atque subiiciendo: palam, libere publice ac per expressum recognoverunt, et quilibet illorum seorsum pro se esse recognovit. Quia se et suos successores ac et super bonis suis omnibus sibi mutuo et invicem inscribunt et obligant praesentibus, Intercisam certam inter se recognoscentes certo modo quarumcunque rerum et conditionum ibidem expressarum de actu et data hic Premisliae die hodierna conscriptam manibus propriis ab utrisque subscriptam, in omnibus et singulis eiusdem intercisae conditionibus, punctis, clausulis, articulis, ligamentisque, nexibus, et aliis quibuscunque contentis, tenere, complere, et exequi ac inviolatam observare: eidemque tam in toto quam in quavis minima parte, toties quoties opus fuerit satisfacere: intercisam praefatam ad inscriptionem praesentem, et inscriptionem praesentem ad praedictam intercisam in toto referendo, hincinde confirmando. Sub vadio Mille ducentorum et Quinquaginta florenorum pecuniae Polonicalis per unam partem vel eius successores, parti alteri ac eius posteris, in defectu completionis praemissorum omnium et singulorum, tam in toto, quam in quavis minima parte, toties quoties opus fuerit ad solvendum succumbendum. Pro quoquidem vadio, ac re aliqua principali ex praemissis non completum complendum, Citata existens praenominata pars alterutra, suique posteri, ad instantiam partis alterutrius eorumque successorum, ad Officium praesens Castrense Capitaneale Premisliense, extunc recessu supposito, quoad respondendum spectat mediante, semper in primo Citationis termino, tanquam peremptorio stare, comparere, respondere, vadium praedictum luere, inscriptioni huic satisfacere ac omne iudicatum pati debebit et tenebitur, seseque suosque successores ad eadem omnia obligat: eundem terminum primum peremptorium et aliis omnibus consequenter causae eiusdem terminis semper peremptoriis, tertia infirmitate per maiori, minorennitate successorum, legatione intra vel extra

Regni



Regnum, servitio militari, ad munimenta, ad exercitum vel aliis quibusvis non obstantibus; ad quietationem ultra priores praefati Castrensis Premisliensis Officii terminos dilatione sibi non recipiendo: nullasque inhibitiones, appellationes, easque protestationes faciendo: praemissasque etiam probatis simplicibus vel triplicatis quaestionibus, suspensionibus, fatalis Iuris praesenti iudicio, bello convocationeque, tum aliis quibusvis iuris remediis et defensis non subterfugiendo. Hac sua praesenti personali recognitione ad praemissa omnia mediante.

## Socha in rem Palatinae Podoliae roborat Chirographum.

Comparens personaliter coram Officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Generosus Nicolaus Socha, sanus mente et corpore existens: a iuris, districtibus, iuribus, iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo: huic autem Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictioni se cum successoribus ac bonis suis quibuscunque aliis, quoad actum praesentem attinet, totaliter et plenarie incorporans atque subiiciens, palam libere publice, ac per expressum recognovit. Quia ipse se ac suos successores in et super bonis suis quibuscunque aliis, Illustri et Magnificae Barbarae de Wola Zarnarska, olim Illustris et Magnifici Martini a Siecin Krasicki Palatini Podoliae Consorti relictae, eiusque posteris, inscribit et obligat praesentibus, recognitionem certam per se recognoscentem in rem eiusdem Magnificae Palatinae Podoliae, rerum certarum et conditionum in eadem recognitione expressarum, de actu et data eiusdem recognitionis, hic Premisliae die hodierna in actu contenta, datam, cum duobus paragraphis eidem recognitioni appositis, manu sua recognoscentis subscriptam et sigillatam, in omnibus eiusdem recognitionis conditionibus, punctis, clausulis articulis ligamentis